UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

De furto communi, Rapina, & damno dato, §. 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-41773

Visual Library

feſſæ, &c. Ratio eſt, quia tunc præter beſtialitatem, additur affectus ad talem.

CAPVT VIII.

Circa Septimum, & Decimum Decalogi præceptum.

§. 1.

De Furto communi, Rapina, & Damno dato.

1 SEctando probabilem opinionem docentem circumſtantias in eadem ſpecie aggravantes, non neceſſariò exprimendas. Dico ſatis eſſe *a* ſi furtum fateri debeas, ſic dicere; Furtum in materia gravi commiſi; at non potes dicere te furatum v. g. decem, cum fueris furatus, vel octo, vel quindecim; quia

a De Lug. d. 16. de pæn. ſec. 3 n 121.

quia ſic non explicares furtum, quod commiſiſti, ſed aliud, quod non commiſiſti. Quod ſi te de præciſa quantitate interroget Confeſſarius, ad videndum fortè ad quid tenearis, quo ad reſtitutionem, vel quo ad aliam obligationem; illa teneris exprimere *b* quia is habet jus ad interrogandum pœnitentem de omnibus, quæ ad ſuæ ſalutem animæ conducere poſſunt, ut diximus cap.1. § 1.

b *Ibidem. n.*123.

2 Si quis publicum Magiſtratum gerens furetur; v.g. Iudex, Gubernator, &c. debetne explicare ſe eſſe talem, quando furtum illud affert Confeſſario? Reſpondeo probabiliter non debere; *c* quia munus, quo fungitur ratione cujus impedire tenetur furta in Civitate; non videtur in re hac novam ſpeciem ſuperaddere. Nam ſic etiam, ſi Sacerdos v. g. aliquem percutiat, non obligatur explicare ſe cum eſſet ſacerdos,

c *De Lug. d.*16 *de pœn. ſec* 4. *n.*180.

cerdos, hominem percuſsiſſe: licet enim indecens magis ſit à te, cum ſis Sacerdos, aliquem percuti, tamen nova ſpecies non additur.

3 Rapina ſpecie à Furto differt. *d* Quare & in Confeſsione promenda; ſpecie, inquam, morali. Rapina enim eſt quidem rei alienæ contrectatio, ſicuti furtum; ſed addit violentiam, atque adeò additur vis, & contumelia contra dominum.

d Idem. ib. ſect 12. n 495.

4 Damnum datum ſive hoc, vel illo modo, ſive hoc, ſive illo inſtrumento ſemper eſt ejuſdem ſpeciei; niſi aliud debeat in Confeſsione explicari, vel propter cenſuram fortè annexam, vel propter reſervationem, vel ſimile quid. Idem cum eadem limitatione dic in furto: ſive fiat per doloſum contractum, ſive per uſuram, ſive alio modo.

De furto facto pluribus, vide cap. 1. §. 9. n. 91.

§. 2. *De*